ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ
Impensis Iohannes Richardson in Cornhill

1608 | 4. X

EURIPIDIS

TRAGOEDIÆ

MEDEA

ET

PHOENISSÆ

GRÆCO-LATINÆ.

ACCESSIT

Ejuſdem VITA, variis Narrationibus & Digreſſionibus olim disjuncta, jam denuo in unum collecta.

Authore *JOSHUA BARNESIO.*

In Uſum SCHOLARUM.

LONDINI,

Impenſis *Johan. Richardſon*, ad Inſigne Capitis Regii in vico vulgò vocato *Cornhill*, MDCCXV.

15
67
MAR

Epiſtola Monitoria

Ad Juvenes Eruditos.

EN Vobis (*Juvenes Optimi*) ex voto, duas haſce Tragœdias celeberrimi iſtius Poetæ Cothurnis pede magis excelſo incedentes: Videatis equidem ſublimitatem Inceſſûs in quavis paginâ, in quavis lineâ, à principio ad finem totius hujus Poetæ operis egregii, non ſine Numine ſuſcepti: In ſequentibus verò majori quadam vi, & elegantiarum quaſi illuvie, ſuaviſſimo omnium Venuſtatum impetu, Euripo ipſo (à quo nomen obtinuit) rapidiorem & multò profundiorem placidiſſimè diffluentem. Argumenta *Clariſſimi Barneſii* mutuò accepi, non ut *Viris Doctis* ſubminiſtrarem, quibus auxiliaribus Copiis ſubvenire mihi non opus eſt, ſi idoneus & paratus eſſem ad hoc mirificè præſtandum; ſed ut *ſtudioſa Juventus* alliceretur, & aliquid Voluptatis caperet, dum per totum iter inſtitutum quaſi Diverſoria quædam feliciter obveniant, quibus Cogitationes & Ingenia reficeret, & exinde ſatis intelligat quid per totam Profectionem ſperare liceret; Vellem

ideo ut *quisque studiosus* diligenter perpenderet per singulos Actus quid sibi vult Poeta, & quodvis Argumentum accuratè legeret, priusquam sensum Authoris enucleare seipsum accingeret. Ad Authorem tamen nostrum Celeberrimum ut redeam; en (*Juvenes Dilectissimi*) qui omni contentione animi, desides & pravos longissimis spatiis intermissis præterire contenditis! en Vobis Poetam maximis Præconiis Virorum Doctissimorum ornatum, per totum terrarum orbem ab omnibus præcipuè decantatum, quibus Virtus, Modestia, Probitas, Morumque Integritas cordi sunt & oblectamento; en Vobis Facundiam! Styli Elegantiam & Sublimitatem! quæ si rectè imitari obnitemini, *Demosthenes* cæteriquæ Oratores insigniter clari, *Sophocles*, *Pindarus*, & tota Poetarum cohors facilè Laurum Vobis concedent. Hinc arma bellicosa, hinc insignia & Ornamenta militaria exhaurire Vobis liceat, quibus Vires & *Atheorum* Copias (qui avitam Religionem cœlitus demissam, Testimoniis probatissimis & miraculis firmatam spernunt & abjiciunt) in fugam vertere & prosternere valeatis, ut propriis telis quibus maximè confidunt, confossi, intereant; in scriptis enim Poetarum totam spem & fiduciam collocant. Cavete igitur (*Juvenes Ingenui*) ne contagione & vitiorum lue inficiamini, dum indefinitâ Licentiâ per totum *Poetarum Ethnicorum* gregem expatiari properatis, & labem turpem non tantùm Vobis ipsis inurere contenditis, Parentibus verò & Præceptoribus vestris mœror, luctus, & suspirium tandem fiatis; *Euripidem* cæterosque Poetas castos & bene moratos, quos illi qui Vobis præsunt in Literis, probant laudantque,

dantque, amplexibus premite & arctius tenete; nullo tamen modo concedam, ut in legendis veteribus, tum Græcis tum Poetis Latinis & Oratoribus, totum illud tempus Vobis conceſſum inſumere exoptaretis, ſed in Diebus feſtis vel ſaltem Dominicis majora quædam & ſublimiora mentes & ingenia veſtra excitent & exerceant; Sanctiſſimis Religionis Officiis (quæ Uſus & Leges tum humanæ tum divinæ conſtituunt) publicè peractis, ad remotas quaſdam Ædium partes à ſtrepitu ſervorum & rebus domeſticis Voſmet ſubducite, ut orationibus & legendis eximiorum *Eccleſiæ noſtræ Prædicatorum* Sermonibus meliùs vacetis: hac etenim ratione Vobis ſperare licet quòd omnium bonorum Author & Parens, Vobis & humanioribus Studiis veſtris per totam ſequentem Septimanam optatum & felicem exitum concedat; ab omnibus etiam illecebris & blanditiis ad nequitiam & ſcelus, Vos tueatur, & ſecuros præſtet; abſque præſidio enim & gratiâ *Divini Numinis* nil valent Literæ: non Eloquentia *Demoſthenis*, non *Ciceronis*, non ſublimitas ipſius *Euripidis*, non præcipua ejus dicendi ars vos extra omnem Fortunæ aleam ſalvos conſtituet; non mentem ſanam, non indubitatam Animi tranquillitatem Vobis conciliabit, non contra vim pravorum effrænatam, & illorum peſſima concilia ſatis munire poterit & ſuſtentare. Auxilia Vobis certa & explorata aliunde petenda ſunt, ex Armamentario nempe Cœlorum, & Sacro-ſanctis *Optimi illius, Maximi, & Omnipotentis Dei* Voluminibus, quæ divinâ & incredibili loquendi vi non tantùm-movent & ad ſe trahunt animum, ſed etiam extra ſe rapiunt;

rapiunt. O felices Vos ter & amplius, *Adoleſcentes Dilectiſſimi*, ſi his ſatis inſtituti aciem inſtruitis in nefarios hujus ævi Inſidiatores, qui mentes Adoleſcentum nondum Ratione, Eruditione bonâ, & ſanis Principiis firmatos pellicere ſatagunt, qui Voluptatum blanditiis incitant, Promiſſis ſuadent & impellunt, ſtimulis Nequitiæ accendunt, quibus *Juvenes Ingenuos* ab Humanitate, à ſemitis Virtutis pulchræ & verè amabilis traducere conantur & cupiunt. Mirari equidem Vobis licet, fortè etiam horreſcat animus, dum hæc quæ ſequuntur repeto. Reſponſum quale accipere ſperarem, ſi cuiquam veſtrûm ipſe dicerem; Poſtquam tua adoleverit ætas, Tu eris Fur, Tu Latro, Tu Mendax egregius, Tu Porcus ebrioſus, Tu Caper malè olens & libidinoſus, Tu Nepos inſaniens & prodigus, Tu Avarus illiberalis, parcus, ſordidus; Tu Otii & Publicæ Peſtis Turbo & Tempeſtas; Tu Eccleſiæ Pacis & Calumnia, *Whiſtonius* alter, vel *Collinius*; Tu ejuſdem Raptor decoro Veſtitu & Ornamentis nudans & ſpolians, Ceremoniis ad Decorem compoſitis, & Uſibus venerandæ Religionis optimè convenientibus eam expilans. Non dubito quin ad hæc unuſquiſque veſtrûm ſatis acriter reſpondebit, egone ſum canis rabidus, latrans, immundus? Lupus inſaniens? vel Leo in rapacitate avarus? Egone feris immanior tam dira, tam execranda perpetrare tentarem? Pereat citiùs mihi animus, tabeſcat mihi Corpus & Vires deficiant, omnibus Tormentorum Machinis admotis me conficiant, & membris undique divulſis terram fœdent & polluant, Humani generis adeo ſim excrementum & Ignominia, ut tale

tale aliquid nefandum ſcelus in me admittam ? ô Cœlum ! ô Terra ! à bonis & piis Parentibus originem duco, ſub Præceptoribus fidiſſimis Inſtitutionem habui, qui non tantùm re Literariâ, ſalutaribus verò Monitis, Opinionibus rectis & bene munitis, ſanctis etiam Exemplis mentem imbuendam curavêre, & à teneris annis optimarum rerum guſtum quendam gratum & jucundum inſeruêre.

Hæc eadem, *Juvenes inſigniter probi*, mens Vobis rata ſemper maneat & firma ; ob rei tamen Indignitatem iram efferveſcentem cohibete, de Vobis enim meliora ſpero ; vehementer tamen noſter commotus eſt animus, ab imis præcordiis ſuſpiria duco, Lacrymæ etiam copioſè fluunt ab oculis, dum ipſe cogito quot quantaque Vobis imminent pericula. In mundum ſtatim ingreſſuri eſtis dolis & aſtutia obſitum, monſtris & belluis ſcatentem, omniſque generis flagitiis repletum ; mores priſtinos languentes videbitis & extremum penè trahentes ſpiritum, Religionis antiquæ & veræ vix certum manens veſtigium. Hæc vivendi ratio in ipſo limine Pietatis, dubitandi rationem præberet, niſi Magnitudo Animi faveute Deo Vos ſuſtentaret ; Dimicationibus tamen aliis & Procellis luctandum eſt Vobis. Eheu quot laquei Vos undique cingunt ! quam innumerabilis multitudo ! quanta malorum Ilias oculis, auribus, & omnibus quidem ſenſibus externis inſidiantur ! quot impedimenta tranquillum iter & placidum à Vobis ſuſceptum & inſtitutum ſiſtunt & obſtruunt ! quanto faſtidio commovebitur animus ! & quanto metu cor veſtrum palpitabit, cùm Execrationes diras, Juramenta inania

nia & deteſtanda, Laſciviam, Ebrietatem, Os impudicum & fœtidum nuſquam non per quamvis Plateam, Vicum, Diverticulum, excelſo & faſtuoſo vertice impunè incedentia conſpexeritis? O quam magna animi Præſtantia & Magnitudine Vobis opus eſt? O quam præclaram victoriam! quam immortale Nomen & Famam reportabitis! Si profligatis hoſtibus, ſi protritis & penitus concultatis impii hujus ævi *duræ & perfrictæ frontis* illecebris, firmum Propoſitum Vobis maneat, à ſemitis Virtutis (iniquo licet interveniente Conſilio) nunquam deflectere Veſtigia, Fidem ſub aſpergine ſalutari à Vobis datam (quoad fieri poteſt) inviolatam & integram conſervare, & per obſtantes hoſtium Copias, ad ampliſſimas Dignitates, ad maximos Honores, ex Procellis & Tempeſtatibus humanæ Vitæ, ad ſuperas Angelorum beatorumque ſedes rectà contendere.

Paucula adhuc dicenda reſtant, præter monita quæ jam Vobis tradidi, ut omnia conſilia veſtra ad exitum magis abſolutum perducatis, & Exiſtimationem præclaram inter probos, & de Patriâ benè meritos melius conſequi poſſitis. Vulgus hominum & ventoſam Plebem, qui nihil ultra ſtrepitum & calicem ſapiunt ac intelligunt, procul fugite; cum his autem qui bonis moribus & Virtute cæteris præſtant, qui ob Modeſtiam, Probitatem, & optimam vivendi rationem inſignes fiunt & probati; indiſcriminatim Amicitiam firmam & indivulſam conſervate & retinete. Si caſu aliquo contigerit quòd incideritis in pravam illorum ſocietatem qui res ſerias male tractant, qui Levitate aliquâ, Scommate procaci, & Joco futili *ſacram Scripturam* excipiunt vel peſſimè expliçant,

licant, cum omni festinatione Vosmet subducite, e contagione quadam infecti, *Ingenii vestri* (ut udaciâ suâ & Impudentiâ freti dicere solent) mpetu animi repentino, periculum facere adduceretis. Vino & Conviviis parcius utimini; Conivia etenim ad alacritatem Animi, & ad commodam Corporis refectionem rectè parantur, on ut luxui & intemperantiæ inserviant. Humani sitis & urbani erga tenuis fortunæ sodales. tudio enim, Diligentiâ, & Vitæ Consuetudine ectâ (quibus tantummodo freti) fieri solet, ut stiusmodi plerique ad summam Dignitatem proecti, non tantùm utiles & idonei, Præsidium erò Ecclesiæ & Imperio necessarium, & certa alus sæpissime fiunt. Si quosdam in Societate estrâ aliter sentientes perciperetis quàm Ecclesia ostra Legibus firmata constituit, benignè & canidè tractare debetis; natura quippe humana, on Linguarum virulentia, non minis, non conumeliis, non insectatione malâ expugnatur; hoc amen sæpius optimè perficitur morum Probiate, Virtutis & Pietatis conspicuæ exemplis, lurimis Humanitatis & Benignitatis officiis, opeam fidelem, si opus fuerit, præstando, vinculis Amoris & Benevolentiæ obstringendo, & si commoda Vobis datur occasio, Argumentis suasoriis magis quàm fervidis alliciendo, ut astuto quodam, nnoxio tamen dolo capiantur & firmiter teneantur: Sin verò in vestram sententiam alios hoc modo inflectere non valeatis, saltem omnia bona de Vobis dicent, & certissimè fateantur Vos spiritu & lenitate Evangelii ductos esse, & quòd tantum fraterna Charitas & Animarum Amor Vos incitat & impellit; felici etiam & repen-

tinâ quaſi Ventorum mutatione tandem eveniat, ut Præoccupationibus Educationis penitus excuſſis, & neceſſariis vivendi rationibus exantlatis, quod Officiis, Uſu, & Conſuetudine ipſis conjunctiſſimi olim ſuaſiſtis, imprudentes opprimat & devinctos arctius obſtringat. Ludis Scenicis, præſertim Comicis, quæ Verecundiæ nocent & Pietati omnino adverſantur, Vobis intereſſe non convenit: Theatralia tamen iſta Spectacula, Machinis variis & Arte Pictoriâ miro Artificio magnificè compaginata, quæ *Operas* vocant, quæ blandis modulatibus mulcent Aures & Vitales recreant Spiritus, non damno, miror magis, illis etiam Laudem inſignem defero, ſuas enim Laurus habent & hederas nitentes, non ab hodierno tantùm uſu, à temporibus verò antiquis, à Græcis nempe Tragœdiis, quæ maximâ ex Parte agebantur variâ Vocis modulatione, & Arte muſicâ, ut conſentaneâ quadam componendi promptitudine gratam *Harmoniam* & concentum efficerent. Poetica hæc erant quædam & muſica Certamina inter ejuſdem ordinis Viros de Primatu, quis magis præſtaret & à cæteris palmam præriperet; Homines nec vulgares & proletarii partes agendi ſuſtinebant, *Nobiles* verò & *Optimates* Cothurnati incedere non dedignabantur, quod in ſequentibus clariùs patebit. Hæc quidem Oblectamina (in ſe ſatis honeſta) *Principibus, Magnatibus & Senatoribus* magis apta videntur, quia cæteris multò *auguſtiora*, & omnino neceſſaria his, qui arduis rebus agendis ſæpius occupantur, ut animus à Curis & Moleſtiis abducatur, & aliquid Jucunditatis ſentiret, dum res difficiles & Gravamina Imperii nimis premunt & one-

onerant. Quis verò (qui Religioni & Patriæ ſaluti conſulit) exclamare non eſt paratus in *Ludos procaces, impios, contumaces?* quid enim Lacrymas & Suſpiria citiùs eliceret, cum conſpicimus ævi hujus noſtri mores inſanos? omnis etiam generis ſcelera (oppugnatis Virtutis & Probitatis impedimentis) inſtar torrentis irrumpentia, quæ hodie omnem Verecundiam & Modeſtiam abjiciunt & proſcribunt, quæ præcipuè ab his impuris fontibus oriuntur; quanto ardore animi, quanto ſtudio, quanto tumultu, non tantùm Juvenes ſed Senes illuſtrium ſuorum majorum haud ſatis memores fluunt ad loca perdita illa, ubi Fabulæ ſub ſpecie perſonata aguntur, ubi turpitudo & laſcivia dominantur? quanto temporis diſpendio, quantâ noctis & diei jacturâ maximum Vitæ ſuæ ſpatium in hæc Levitatis exercitia impendunt? Quid minus ornare hominem poteſt ad Modeſtiam natum & morum Integritatem, quàm ſtudio Scenæ inſervire, Obſcœnitatis Spectaculis delectari, quæ latam incautæ Juventuti, Intemperantiæ, Licentiæ, & Vitiorum omnium viam adaperiunt? Hæc ſtultitia, ne dicam inſana viſendi Theatra cupido ſic invaluit, moreſque multorum adeo immutavit, ut quod *Vitium* fuit olim, nunc *Virtutem* pravâ conſuetudine & peſſimis longè exemplis *Coryphæi & Sceleris Primarii* exiſtimari ſtrenuè exoptant. Omnibus ideo *Adoleſcentibus* bonâ & liberali indole præditis etiam atque etiam adhortor & ſuadeo, ut ab omni Societate malâ greſſibus citatis procul fugiant, à primiſque ſcelerum Veſtigiis oculos ſummo cum faſtidio averterent, ne Ruinam & dedecus ſibi accelerarent; cavete ne moribus veſtris nefariis,

Majores veſtros, Parentes, & Præceptores ad in famiam & ignominiam adigeretis, qui ſpe van illudi ſe tandem ſentiant, cùm infames veſtr & degeneres conſpiciunt mores. Animis veſtr perpendite quantâ Luce, meridie magis clar fruimini, obſcurâ noctis Caligine dum alii & ſu craſſis tenebris vitam agunt. Ut verbo finia *(Juvenes maximè probati & perchari)* actiones ve ſtras ornate, ut Honorem & ſplendorem diuti teneant, ut ob Modeſtiam, Sinceritatem, Inte gritatem, morumque Probitatem omnibus gra ſitis & amabiles.

Deus infinitæ Clementiæ, & Bonitatis im menſæ Mihi *Vobíſque concedat, quantulu Vitæ reſtat, ut innocuè, tranquillè, placidè que ducamus, & conſtituto noſtro viven tempore finito, ſub Amplexibus Divinis inte Choros Angelorum & Sanctorum Cœtus, tem peſtatibus perfidi hujus mundi ſuperatis, fe liciter conveniamus, & nobis invicem in ſæ cula ſeculorum gratulemur.*

Dat. ex Ædibus noſtris
Pridie Calend. Junii 1715.

EURI-

EURIPIDIS
VITA.

EURIPIDES quidem Patriâ Athenienſis erat, hoc eſt ex utriſque Parentibus liberis Athenienſibus oriundus. Patris illius Populus, ſive *Atticè* loqui mavelis, *Demus*, erat *Phyle*, quæ ad Tribum *Oenæiden* pertinebat. Patrem habuit *Mneſarchum* & ipſum *Mneſarchi* alterius filium, unde etiam aliquando *Mneſarchidem* vocatum legimus; quod & de aliis Nominibus propriis notandum. *Pythagoræ* quoque Philoſophi Pater fertur ejuſdem Nominis fuiſſe; ut & alius, quem *Cicero* inter Principes ſui temporis Philoſophos numerandum cenſet. Verùm hic *Mneſarchus Euripidis* Pater, non modò honeſto, ſed etiam illuſtri loco, natus videtur; *Clitonem* enim ipſius Matrem *Philocorus* probat ex ſplendidiori familiâ ortam, ut *Suidas* teſtatur & *Moſchopulus*.

Quum adhuc *Clito* Mater illum in utero gereret, conſulenti de eo Oraculum Patri hoc reſponſum dedit *Apollo*, Poetarum Præſes.

Te Mneſarche, *manet ſummo celebrandus honore*
Filius; eximiæ qui ſcandet culmina laudis,
Et referet lætas ſacro ex certamine fronde.

Hujus Oraculi meminit *Agellius*; verùm [illegible] jam nato Puero datum eſſe falſus aſſerit, nec ab *Ap*[illegible] ſed à *Chaldæis*; quanquam nec id neſciam, quo[illegible]uturorum Vates à nonnullis *Chaldæos* vocari: Ita erg[illegible], *Patri autem ejus* (de *Euripide* loquens) *Nato illo, reſpon*[illegible] *eſt à* Chaldæis, eum

eum Puerum, quum adoleviſſet, *Victorem in Certaminibus fore. Id ei Puero Fatum eſſe.*

Juxta hoc tempus, ipſo Olympiadis ſeptuageſimæ quintæ tempore Xerxis Perſarum Regis Expeditio in Græciam contigit, de quâ, ut & omni illius Apparatu, *Herodotus* ſcripſit. Hujus itaque rei metu, & quod ita Oraculo admonerentur, Athenienſes Urbem ſuam ultrò deſerebant, & omni ferè eorum Militia ad Claſſem & in Exercitum cæterorum *Græcorum* coacta in *Træzenem*, partim in *Æginam*, major verò pars in *Salaminem* cum Liberis ſuis, Uxoribus, & Familiis conceſſère: inter hos itaque Mneſarchus, cum Uxore ſuâ Clitone, jam uterum primò gerente ad *Salaminem* conceſſit, *Atticæ* ditionis Inſulam, *Telamonii* quondam *Ajacis* imperio claram, poſtea *Homeri*, ut nonnulli ſtatuunt, Natalibus, certè *Solonis* illius *Athenienſium* Legiſlatoris, & noſtri demum Poetæ *Euripidis*, illuſtrem. Ibi enim *Clito* mediâ æſtate, eodem ipſo die viceſimo, nempe *Boedromionis*, quo *Perſas Athenienſes* ad oſtium *Euripi* profligabant, Filium peperit, quem exinde, in tam nobilis Victoriæ memoriam, Euripidem Parentes nominabant.

Quum igitur *Euripides*, utì diximus, *Salamine* natus eſſet, vero ſimile videtur, illius Parentes, unà cum Familiâ ſuâ per aliquod tempus in eâ Inſulâ moratos eſſe; quòd Urbs patria, *Athenæ*, quum jam ſecundò à Mardonio vaſtaretur, non ſine benè longo temporis ſpatio ex *Perſicis* Ruinis ad priſtinum ſplendorem poſſet emergere. Certè quamvis muro Urbem cingi, & *Piræeum* quarto ferè poſt anno legimus, properantibus nimirum ex *Themiſtoclis* conſilio *Athenienſibus* ob *Lacedæmoniorum* illorum rebus invidentium metum, ſatis tamen Authorum teſtimonio & rationis acie perſpectum habemus, ipſam Urbem omnibus numeris abſolutam, & privatis ædificiis auctam & munitam non niſi decem ad minimum intercedentibus annis; quanquam Deorum Templis, Theatris, & Porticibus ampliandis & decorandis multò longior requirebatur dies. Quare rationi conſentaneum eſt, *Euripidis* Parentes aliquot annos poſt illum natum in *Salamine* egiſſe, quo temporis ſpatio, quoniam Nobilitate & Divitiis præſtarent (*Ariſtophane* licèt *cæteriſque* [illegible]*polis* de matre olerum venditrice neſcio quid inſi[illegible] garrientibus) credibile eſt, eos domum & prædia ſibi [illegible]ucta, aut etiam empta, habuiſſe. Non eſt ſanè du[illegible]m Poetam noſtrum, natalis ſoli charitate ductum, [illegible] ſaltem annis hic eſſe moratum, vel certè

BRITISH MUSEUM 15 67 MAR

certè haud ſemel eò digreſſum & diverſatum etiam ætate provectiori, quando Poeticæ operam daret. *Philocorus* enim refert in Inſulâ *Salamine* Speluncam eſſe tetram & horridam, quam nos (inquit *Agellius*) vidimus, in quâ Euripides ſcriptitârit.

Poſtquam adoleviſſet Euripides, Pater ejus Mneſarchus cùm videret Filium ſuum eſſe vegeto corpore, membris benè compactis, & valetudine haud infirmâ, Oraculi, quod ſupra memoravimus, probe memor, conjecturam faciebat, hunc Puerum ex Certaminibus Olympicis Coronas aliquando reportaturum. Quare illius Corpus roborare & ad labores confirmare conſtituit, Athleticæ vitæ paulatim aſſuefaciendum curavit; nec interea oblitus eſt eum Grammaticæ Rudimentis imbuere, Muſicæque ſtudio excolere, aliiſque, quibus Beatorum *Athenienſium* filii impuberes inſtrui ſolebant.

Roborato tandem exercitatóque filii ſui corpore, *Mneſarchus* Olympiam *certaturum inter Athletas Pueros deduxit. Ac primò quidem in certamen per ambiguam ætatem receptus non eſt.* Poſt *Eleuſinio & Theſæo certamine pugnavit, & coronatus eſt*; idque *Athenis* ubi ea Certamina erant ſolennia; nunquam autem illum in majoribus *Olympicis* Certaminibus, quæ *Elide* erant ſolennia, contendiſſe credibile eſt; certè nunquam in iis viciſſe abunde conſtat, quia nec illius Nomen inter Olympionicas, quorum Catalogus etiamnum extat, reperitur. Decimo autem octavo ætatis anno primùm ſe ad Tragœdias ſcribendas contuliſſe dicitur. Is quidem ad Corporis curam, quam Athletici homines exercere ſolebant, etiam excolendi animi ſtudium adjunxit; adeò ut nemini ferè in Artibus indagandis & explorandis concederet. Et Artem quidem pingendi à Principio exercuiſſe traditur; Fabulæque ab eo pictæ *Megaris* feruntur extitiſſe, ut *Thomas Magiſter*, aliique tradunt.

Certè ut in fingendis moribus, ita in Perſonis pingendis eximius ſemper Artifex eſt habitus. Et ille primus *Agamemnoni* caput involvendum eſſe vidit, quando ad Aram mœſtus ſtaret, filiâ jamjam immolandâ. Quam rem quòd Timanthes Pictor poſtea penicillo expreſſerit, adeò veteribus placuiſſe dicitur.

Quinetiam Rhetoricæ ſtudio delectatus eſt, nec leviter eodem imbutus, quod à *Prodico* Rhetore, *Chiorum* Legato, hauſiſſe dicitur, quem & Xenophon *Grylli* filius maximopere miratus eſt. Quod ſi *Euripidis* Nobilitatis argumentum

tum non leve inter alia habeatur, quum de eo teſtetur Philoſtratus, quòd Diſcipulos ſibi ex Juvenibus Nobilioribus & Patriciis elegerit, profundéque Divitibus; unde & Πεντηκοντάδραχμος dicebatur. Nec certè *Euripides* vel *Pericle* Condiſcipulo, vel *Prodico* Magiſtro indignus evaſit; nam & ipſe in dicendi Arte tantus erat, ut non modò ſui temporis orator ſummus haberetur, ſed & Oratorum maximorum Pater & Præceptor; quare nec immeritò ab *Heinſiorum* doctiſſimo audit, *Omnium Oratorum non minùs Pater, quàm Optimus Poeta.* Ex illo enim *Demoſthenes* dicendi amore totus eſt abreptus & inflammatus; ex illius Hiſtrionibus & Mimis Pronunciandi Artem didicit, & *Euripidem* ipſum animo ſibi effingendum duxit & manu deſcribendum haud ſemel curàvit; ut & *Thucydidem*, quem etiam octies ſuâ manu deſcripſiſſe idem *Demoſthenes* traditur à *Luciano.* Nec enim ulla eſt dicendi cauſa, in quâ *Euripides* excellere non videtur, nec ulla Argumentorum vis, nec Eloquentiæ copia, aut ſolertia quam ille non ſit aſſecutus. Quare & alter ille *Demoſthenes*, *Marcus Tullius Cicero* hunc Poetam ex manibus videtur nunquam niſi invitus depoſuiſſe; adeo aſſiduus erat in eum volvendo, laudando, lectitando, ut nullum ferè præter hunc Authorem magnopere æſtimaſſe videatur. Nam & *Tyroni* de eo ſcribens ait ψύχος ἡ λεπτὴ χρεὼ πολεμώτατον inquit *Euripides*; cui tu quantum credas, neſcio. Ego ſingulos ejus verſus ſingula Teſtimonia puto. Et eo die & tempore, quo Hominum ingratiſſimus *C. Popilius Lænas* ad *Ciceronem* tollendum feſtinavit, reperit eum in Lectica *Euripidis* Tragœdiam *Medeam* legentem, ut *Ptolemæus Hephæſtion* prodidit; ita cum Præceptore eloquentiſſimo Oratorum conſummatiſſimus etiam commori velle videbatur. Quin de hac re luculentiſſimum profert teſtimonium *Quintilianus*, Orator & ipſe nequaquam contemnendus: *Illud quidem*, inquit, *Nemo non fateatur neceſſe eſt, iis, qui ſe ad agendum comparaverint, utiliorem longè* (Æſchylo & Sophocle) Euripidem *fore. Namque is & vi & ſermone* (*quo ipſum reprehendunt, quibus Gravitas & Cothurnus & ſonus* Sophoclis *videtur eſſe ſublimior*) *magis accedit Oratorio generi, & ſententiis denſus, & rebus ipſis & in his, quæ à ſapientibus tradita ſunt, pene ipſis par, & in dicendo & reſpondendo, cuilibet eorum, qui fuerunt in Foro diſerti, comparandus. In Affectibus verò tum omnibus minus, tum in iis qui Miſerationem conſtant, facilè præcipuus.*

Præ-

Euripidis Tragici Vita.

Præterea Præceptorem habuit *Euripides* Anaxagoram in Naturali Philoſophiâ. Magni ſanè hic Vir Nominis erat, ὁ Νοῦς dicebatur, quòd Deum incorporeum, Æternum & omnibus modis excellentem eſſe mentem docuit. Is enim, ut *Cicero* teſtatur, primus omnium rerum Deſcriptionem & Modum, mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici voluit. Et univerſæ rerum Naturæ, non Fortunam, non Neceſſitatem, ſed Mentem puram & ſinceram, Creationis, Ordinationis & Conſervationis Principium agnovit.

Diſcipulus illius *Euripides* ad Scenam ſe convertens, Duodevicennis exiſtens, ex quo Tragœdiis componendis præcipuè vacavit, non quidem Diſciplinæ ſuæ veteris Transfuga fuit, ſed fideliſſimus & conſtans Cultor & Cuſtos; omnia enim Magni Magiſtri præcepta conſervavit & ſecum in Muſarum Caſtra intulit; adeo ut poſthinc Cothurnata audiêrit Philoſophia, & ipſe emphatice *Scenicus* Philoſophus ſit dictus, ut ex *Origine*, Clemente Alexandrino, Athenæo, aliiſque liquet. Quare & poſtea *Socratem* ipſius auxilio aliquando uſum eſſe aiunt, in Fabulis ſuis effingendis, cui & Poetarum ſolum *Euripidem* præcipuè amavit ob ſententiarum & morum gravitatem & pondus; & ſanè de *Socratis* erga *Euripidem* obſervantiâ inter alios ita *Ælianus*, *Socrates* verò raro in Theatra veniebat; niſi ſiquando *Euripides* Tragicus Poeta cum novis Tragœdis certaret; tum enim accedere ſolebat. Et quando *Euripides* in Præco contenderet, eò deſcendebat; amabat enim hominem, nimirum propter ejus Sapientiam & Virtutem, quæ in illius Verſibus enituit. Hæc *Ælianus*. Et ſanè id ſibi præcipuè *Euripides* in omnibus ſuis Fabulis propoſuiſſe videtur; ut Auditoribus ſuis quàm maximè prodeſſet, & per jucundas Carminum & Fabularum ambages animis eorum Virtutis amorem & hujus Vitæ contemptum inſtillaret; & omnia denique Pietatis, Conſtantiæ, Prudentiæ & Patientiæ Præcepta veterum Herœum exemplis cohoneſtaret; ſenſiſque optimarum Sententiarum Repetitionibus ſuis *Athenienſibus* inculcaret. Præcipuè verò Nobiliorem Philoſophiam ubique ſpirare deprehenditur, Dei Providentiam gravibus rationibus confirmat, Animæque Immortalitatem ſtruit, quòd Anima non in æthera diffundatur inſtar fumi, ſed perduret & Mente vigeat, apertè nec ſemel teſtatur; denique Pœnas infernales & Retributionem agnoſcit. Quid ſingulis immoremur? Quicquid magnanimus ille Præceptor honorificè de Deo unquam locutus, aut ſapienter de

Naturâ, id civibus ſuis frequenter propinavit; nec ſub timidè & clanculùm id fecit; ſed apertè populo exhibuit ſalutaria moralis Sapientiæ dogmata, Poetico tamen dul core emollita; quo & ſibi ſatius conſuleret, & auditorum Commodo proſpiceret. Unde *Cicero*, perpetuus hujus Au thoris Amicus, Cultor & Comes: " Itaque apud *Euripide* à *Theſeo* dicta laudantur,

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem Viro,
Futuras mecum commentabar Miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mœſtam fugam;
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali:
Ut ſiqua invecta Diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura laceraret recens.

' Quod autem *Theſeus* à Docto ſe audiſſe dicit, id de ſe
' ipſo loquitur *Euripides*. Fuerat enim Auditor *Anaxagoræ*
' quem ferunt, nuntiatâ morte filii, dixiſſe, *Sciebam me ge*
' *nuiſſe mortalem.* Quæ vox declarat, iis eſſe hæc acerba
' quibus non fuerint cogitata: Ergo id quidem non du
' bium, quin omnia quæ mala putantur, ſint improviſa
' graviora. Hæc *Cicero*.

Et in hanc ſententiam *Melanippen ſapientem* Fabulam ita formavit, ut exinde gratos ſuos animi ſenſus erga Præ ceptorem *Anaxagoram* deſcripſiſſe agnoſceretur. Nec id certè pio Poetæ vitio vertendum, quòd Mulierem in Sce nam Philoſophantem induxerit his, Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλ ἐμῆς μητρὸς πάρα, ὡς ἐκείνος ἔφη, γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία Εὐρ Nequaquam inquam, hoc *Euripidi* vitio vertendum. Ne licèt rarum ſiet, omnino impoſſibile dici poteſt; imò ne quidem improbabile, ut aliquando mulier aliqua reperia tur, non dico cuivis viro par, ſed ſi velis etiam ſuperior ſaltem in aliquibus rebus; utì ſatis iis conſtat, qui Hi ſtorias multarum Gentium & multorum Temporum accu ratè notaverint. Quare nec ipſe *Socrates* dubitavit ſeriò affirmare, quòd multæ mulieres in multis rebus, multis viris fuerint excellentiores. Quia verò rariùs fortè in hoc ſexu ſumma excellentia deprehenditur, ideo ſanè Po eta hic noſter, qui nihil ignorat, ut qui probè conſcius eſſet τῆς ὀφελείας, nec Legum Poeticarum inexpertus, vi am ſemper ſibi ſtruit & præmunit.

Quòd autem præcipuè φιλόπολις fuerit & *Athenarum* ſua rum egregius Laudator, ex innumeris id locis etiamnum poteſt deprehendi & probari. Non hic dico, quot perpe tuis Fabulis *Athenienſis* populi laudes celebravit, quarum ſingulæ,

ingulæ, ut Supplices & Heraclidæ, continent ἐγκώμιον Ἀθηναίων. Non affero hoc ſibi Argumentum ferè in omnibus cæteris Poetam propoſuiſſe, præſertim in iis, quibus Reges *Athenienſium* nomina dederunt, ut *Ægeus*, *Erechtheus*, *Theſeus* quarum etiamnum aliquot ſuperſunt Fragmenta. Hoc finis Oreſtæ, hoc *Herculis* furentis Concluſio, hoc *Medeæ* Actus tertius, ubi *Ægeus* introducitur; hoc multa pars *Hippolyti*; hoc denique loci alii innumeri ſatagunt, ut pios Poetæ affectus erga Patriam oſtendant. Quare neque *Salamina* indictam reliquit, & *Euripides* ſanè nunquam non arripit Occaſionem, quâ opportuniùs *Athenas* ſuas toti *Græciæ*, ac proinde toti terrarum orbi, laudatas reddat. Nimius eſſem, ſi plures Inſtantias proferrem, multos autem alios locos ſiquis perpenderit, mirabitur Poetæ lepidum ingenium; quòd tantam pietatem tantâ cum Arte exhibuerit conjunctam. Quis autem æquus rerum æſtimator, vitio hoc *Euripidi* unquam vertat quòd tam promptus & vigil ſit in Patriæ laudes, iſtius inquam Patriæ, quam vel hoſtes vel barbari & peregrini tantopere admirati ſunt? In illâ urbe Deorum Majeſtas & Religionis honos ſummâ cum Reverentiâ conſervabantur; illa erat commune ſupplicium *Aſylum*, Literarum & Artium ſacrarium; in illius foro publico *Miſericordiæ* Ara erigebatur, à quâ nemo erat arcendus. Et nequid hic de *Athenarum* Imperii magnitudine dicam, nequid de Doctrinâ omnigenâ, quæ ibi ſemper floruit, de Legiſlatoribus, de Poetis, de Philoſophis, *Hiſtoricis*, Ducibuſque immortali Laude dignis, quos peperit, eximium quid & haud vulgare eſt illud quod Harpocration in voce Ἄβαεις de populo Athenienſi narrat, Λοιμὲ δέ φασι κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην γενόμενον ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μαντευομένοις Ἕλλησι καὶ βαρβάροις ἐκ τῆς Ἀθηναίων Δήμου ἱδρυμένου πάντων εὐχὰς ποιήσασθαι· προεβουλεύσαντο δὲ πολλῶν ἐθνῶν πρὸς αὐτοὺς, καὶ Ἄβαριν ἐξ Ὑπερβορέων προσβυτὴν ἀφικέσθαι λέγεται. Quam rem *Ariſtophanis Scholiaſtes* plus ſemel confirmat, ut & *Suidas* in vocibus Εἰρεσιώνη & Περιπεσσία. Ab eodem denique Deo *Athenarum* urbs ob Æquitatem & Miſericordiam communis Ara Græciæ vocabatur, *Æliano* teſte. Nec tamen adeo *Euripidem* transverſum egit patriæ Urbis Amor, ut erga Hoſtes ipſos nonæ quus idem appareret; ſicut enim *Athenas*, Urbem patriam, ſuo more primo loco ponat Poeta piiſſimus, ita *Spartam*, licet *Athenis* tunc temporis infenſam ſecundo

cundo loco memorat æquus homo, qui & hoſtem ſuâ laude nequaquam privandum præcipit.

Verum enimvero contra *Euripidem* nonnulli ex Veteribus objiciunt, quòd erga mulieres eſſet iniquus; adeo ut Μισογύνης diceretur, quod Viro Bono & Philoſopho valde indignum judico; cum & is ſexus ſit Humani generis pars altera; Deique ipſius ſummè prudentis Opificis judicio huic Vitæ neceſſaria. Sed ſi paulò accuratius rem conſideremus, videbimus, hoc ei convitium adhæſiſſe, ex futilibus Criticorum conjecturâ primitus ortum; cùm enim illud ei Cognominis ab antiquis datum invenerint, veram autem neſcirent iſtius rei cauſam, falſam illico ſuo more affigere non ſunt veriti, & hinc illæ de ejus infauſto plus ſemel conjugio Tragœdiæ, hinc de Hiſtrione Cephiſophonte, illius ſervo & adultero, & ejuſmodi non pauca, nec ab antiquis nec ab idoneis Authoribus, nec ab ipsâ ſatis ratione confirmata; niſi quis fortè Ariſtophanis Comici convitiis fidem habendam judicet.

Verum enimvero *Euripides* & aſper moribus & μισογέλως habebatur, ut & illius Præceptor *Anaxagoras*, qui & ipſe ἀγέλαστος dictus erat; ita enim *Alexander* Ætolus apud *Gellium*,

> Ὁ δ' Ἀναξαγόρᾳ τρόφιμος, &c.
> *Sed Anaxagoræ Diſcipulus veteris*
> *Congreſſu mihi viſus erat ſubacerbus;*
> *Sed nec amans riſûs, nec doctus pocula falſis*
> *Exhilarare jocis: ſed quicquid ſcripſerit idem,*
> *Melle & Sirenum dulcedine ſuavius illud.*

Et *Ariſtophanes*, quod notat *Thomas Magiſter*, difficiliorem paulò illum in congreſſibus teſtatur; quinetiam ipſe *Euripides* in Epiſtolâ ſuâ ad *Cephiſophontem* datâ, dum de lautioribus *Archelai* conviviis queritur, videtur haud nimis hilarioribus compotationibus deditus. Quòd itaque temporis ſpatio & Philoſophiæ ſtudio, redderetur tandem in moribus & vitæ actionibus aliquantò ſeverior, nequaquam dubitandum; quòd autem Hilaritatis omnimodæ hoſtis eſſet apertus, non facilè concedet is, qui liberos hujus Authoris ſpiritus & jucundiores hilareſcentis Muſæ volatus hic inde per totum opus luſitantes perſpexerit. Agreſtes autem mores ῥιπῶς abominatur, ubi hæc habet, χωρὶς δ' ἀγρίων νάπαιμι τρόπων. *Fera vita meos nihil ad mores.*

Ut Dignitas autem & Fama hujus Poetæ omnibus clariùs innoteſceret, *Archelaus* Rex *Macedoniæ* cùm Literarum

ſtudio

tudio præ cæteris Mortalibus flagraret, ideóque plurimis
octis Viris dona mitteret, alios etiam in *Macedoniam* in-
itaret *Amphiam Macedonem Athenas* misit, qui Argentum
nter alios *Euripidi* referret; & *Clito* nobilis *Macedo* Regis
micus & Consiliarius, literas subjunxit, quibus hortatur
uripidem ut Regis Benevolentiam acciperet. Plurimos
nè & insignes apud se pellectos, & ex omni Græciâ evo-
tos habuit *Archelaus* Artifices, Viros, & in omni Scien-
iæ genere peritos, præcipuè Doctrinâ claros, Philosophos
Poetas; & *Socratem* quoque literis suis Rex nobilis
us semel vocabat; quanquam is quidem semper se ex-
usatum haberi precatus est; utpote qui *Archelao* prorsus
utilem se fore vidit; nec illius favoribus æquandis ullo
odo parem; cùm *Archelaus* Virtutibus satis esset instru-
us, nihil autem ipse aliud doceret. *Timotheus* quoque
obilis Musicus apud *Archelaum*, in honore fuisse dicitur
Plutarcho, ut & *Zeuxes* Pictor, ab *Ælian*o. Et tales mul-
s Viros *Archelaus* secum congregatos habuit, & postea
idem ipsum Platonem, qui nimis his temporibus juve-
is erat; supra omnes autem miratus est *Euripidem*, quem
verè sapientem novit, nec munerum Regiorum, ut alii,
pidum, sed modestum, castum, doctum & amicum Ve-
tatis ac Virtutis; à quo plurima erant illi addiscenda.
uare cùm ille ferè semper Regia munera detrectaret, om-
m rex occasionem accepit favores in eum congerendi;
que ita quum aliquando in Convivio *Archelaus* ab Au-
co quodam magno interpellaretur, ut ei poculum quod-
m aureum dare vellet; id statim Rex puerum, qui
at illi à poculis, Euripidi jussit deferre, hæc Aulico di-
ns, Σὺ μὲν γὰρ αἰτεῖν, ὦ βασιλεῦ, ὃ λαμβάνειν ἄξιος ἔσῃ οὐκ αἰσχύνῃ,
o dicto simul Impudentiam *Aulici* elusit & *Euripidis* Mo-
stiam approbavit. Rogavit aliquando *Euripidem Arche-
us*, ut de se Drama quoddam componeret, quo latè no-
en suum ferretur: At pius Poeta qui probè sciret Tra-
ædiarum Materiam esse mœstam plerumque & infelicem,
alum omen deprecans, dixit se Deos Immortales pre-
ari, ut nihil tragicum illi contingeret unquam. Sed cre-
ibile est, postea regiis votis obsecundâsse Poetam, & Fa-
ulam *Archelaum* dictam illius Nomine honestâsse, vivo
dhuc & florente Rege; nam nec nisi sexto post *Euri-
idem* functum anno mortuus est *Archelaus*. Et *Archelaus*
uidem Filio suo, qui in Regnum post successit, juxta hæc
mpora nato, Orestis nomen dedit, *Euripidis* nimirum

causâ;

cauſâ; quod is Fabulam ejuſdem Nominis ſupremam *Athenis* egiſſet, antequam in *Macedoniam* proficiſceretur; quanquam & aliàs Oreſtis Nomen apud *Macedonas* familiare videatur. Præterea in hujus Regis gratiam & Honorem Fabula Temenus, ſive Temenidæ dicta, videtur facta; Reges enim *Macedoniæ* ex Temenidarum familia oriundi, teſtante *Thucydide*. Certè & Rex ipſe, & *Clito* nobilis Macedo, Regis Conſiliariorum Princeps haud oſcitanter inſtabant *Euripidi*, ut aliquid ſcriberet ſuo more; quod teſtatur ipſe Poeta in Epiſtolarum ultima, quæ & de nimis lautis conviviis illum querentem introducit, & omnino huic loco multam lucem adferet. Alio quidem tempore, vel anno novo ineunte, vel ipſius *Archelai* Natalibus, quando inter plurimos qui Regi Strenas & Munuſcula deferrent, ſolus *Euripides* ſuo amore & fide fretus, nihil præterea adduceret, Rex illum ſubridens rogavit; *Nunquid illum gravaretur Regem munuſculo honeſtare?* Reſpondit *Euripides*, Οὐ βέλομαι πλουτῶν δωρεῖσθ πένης· μή μ' ἄφρονα κείνης, ἣ δίδως αἰτῷ δοκῶ. Quæ Latino verſu donata reperies in *Archelao*. Juxta hæc tempora cùm cæteri Athenienſes ægre ferrent *Euripidis* abſentiam, tum inimici illius illum Paraſitum vocabant & auri potentiæ & cupidum; & *Sophocles* ipſe, qui haud ita pridem illius amicitiæ cultor erat factus, hoc in illum Diſtichum torſiſſe putatur, quod & *Pompeius* Magnus ad Regem *Ægypti* iturus uſurpaſſe dicitur, Ὅσις δ' πρὸς Τύραννον ἐμπορεύεθ, κείνε 'δ δόλθ, κἂν ἐλευθέρθ πόλη. Et *Plutarchus* in libro de exilio, Τις γὰρ εἶπε τῆς ἑαυτῦ παιδεύθ ἐγκάμιον τοιοῦτον οἷον Εὐριπίδης, tum verſibus quibuſdam ex *Erechtheo* laudatis infert, Ἀλλ' ὁ ταῦτα γράψας εἰς Μακεδονίαν ᾤχετο, καὶ παρ' Ἀρχελάῳ κατεβίωσεν. Argumentum ultimæ, quæ extat, *Euripidis* Epiſtolæ huc pertinet; in ea enim *Cephiſophonti* ſcribens Hiſtrioni ſuo, at Amico & Philoſopho viro, qui & Euripidem ipſum aliquando in Tragœdiis conſcribendis putatur adjuviſſe, hortatur ſecum contemnat iniquas & immeritas malorum hominum de hac illius peregrinatione cavillationes; at ſi quem Boni & Æqui amantem reperiret, qui & hanc ægre ferret, omnino illi veras rationes aperiret & ſatis daret. Non eſt prætereundum, garrulum quendam & futilem *Archelai* Regis Aulicum *Decamnicum* vocatum, *Euripidi* jam ſeni plus ſeptuagenario τὸν τῦ σώματθ δυσωδίαν objeciſſe; cui *Euripides* falsè reſpondit, id in ſe mirum videri nequaquam

debere;

debere; qui tam pertinaci fide, quæcunque illius pectori essent concredita, retineret. Hujus Apothegmatis meminit Stobæus, Εὐριπίδης ὀνειδίζοντός τινος, &c. *Euripides cum graveolentia illi à quodam objiceretur, multa enim dixit secreta in eo computruerunt*, Fidelem se innuens & taciturnum.

Quare ut ad finem tandem veniamus, quum jam tertio *Euripides* anno in Macedoniâ versaretur, sive invidorum malitiâ, sive Deorum fato, nam & casus & malitia in causam utraque feruntur, à *Promeri* canibus in *Bormisco* vico *Macedoniæ* adeò laceratus est, ut brevi post vita fungeretur; crudelitas fati tanto ingenio non debita, ut inquit *Valerius Maximus*. Sunt qui hos Dianæ canes dicant immites & efferatos, quos, cum *Euripides Heraclitini Scotini* admirator eximius, frequenter Dianæ templum, ubi illius Carmina reconderentur, illorum addiscendorum causâ adiisset, ei immissos, invidorum consilio, à *Promero* Regiorum canum procuratore, quo ipso fato eundem Heraclitum periisse dicunt. Narratur & alia hujus casus historia, quæ sic se habet, in *Macedoniâ* vicus quispiam est, qui *Thracum* dicitur, propterea quod à Thracibus plerumque sit habitatus, aliàs *Bormiscus* vocatur à monte *Bormio*. In hunc locum quum canis quidam venaticus *Archelai* Regis fortè aberrâsset, *Thraces* de more suo mactatum devorarunt. Id ubi comperisset *Archelaus*, Talentum eis multam indicit; quod ubi illi solvendo non essent, *Euripidem* rogârunt ut pro eâ, qua valebat apud Regem Authoritate, exoraret eum, hanc eis multam remittere. Hoc *Euripides* fecit & veniam impetravit; postea vero quum *Euripides* in sylvâ quadam solus meditaretur, *Archelaus* autem juxta viam à venatu rediret, canes aliquot Poetam cingentes lacerârunt & devorârunt. Existimatum vero est, hosce canes ex eodem cane proseminatos quem Thraces sacrificarunt & devorârunt. Hinc adagium apud *Macedonas* increbuit, κυνὸς δίκλωνι, subaudi passus, aut aliquid simile. Alia narrantur quæ velut ab ipsâ ratione dissentanea, nequid hic repetam de Poetæ castis moribus & provecta ætate, procul hinc ableganda judico. Obiit enim septuagesimo ferè quinto ætatis anno, cùm *Antegenides* Archon vixdum desierat, quo anno *Callias* Archon erat. Cujus ad nuntium *Sophocles* fabulam acturus Mimos suos pullatos & sinè coronis, ipse pullâ indutus in scenam produxit. Et ipse quidem *Sophocles* circa finem ejusdem anni

moritur

moritur nonagenarius, quod ex Ariſtophanis patet *Ranis* ubi *Hercules* rogat *Bacchum*, an non vellet *Sophoclem* ex inferis reducere, *Euripide* priorem. *Dionyſius* ſanè *Byzantinus* hoc atroci tam nobilis Poetæ fato attonitus, nequa de Deorum bonitate ſuſpicio inde oriatur, ſatius putat omnes omnium gentium authoritates uno Poetico gladio diſcindere, & naturalem ei mortem aſſignare: Quare ita canit, alludens ad Dionyſiacas veſtes & Tragicum omnem ornatum in Tumulo illius exſculptum,

Οὔ σε κυνῶν γλῶσ' ἔβλ', Εὐριπίδη, &c.
Non te turba canum eſt, Euripides, *ira nec ulta*
Fœminea, expertem non licitæ Veneris.
Verum Orcus ſeniúmque tulit juxtáque Arethuſam
Cumbis, amicitia nobilis Archelai
Sed nec ego hunc Tumulum veſtrum puto. Bacchica veſti
Hic ſcenas ſuadet poſſe latere tuas.

At verò quod ad mortis hujus magni bonique Viri genus attinet, non eſt quòd nimis offendantur aures Philoſophicæ, multò minùs Chriſtianæ; quia multò chariores ſuos Deus aliquando amicos ſuos, flammis, ferro, Beſtiis, aquis non perire quidem, ſed mori permittere. Quis credat illos fuiſſe Dei amicos, de quibus Divus *Paulus* (qui & ipſe cum beſtiis *Epheſi* pugnaverat) hæc habet? *Ludibria & flagella ſunt experti*; *& vincula inſuper & carcerem*: *Lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tentati ſunt*; *gladio cæſi occubuerunt* &c. Sed & Poetarum & Philoſophorum Optimorum plurimi malâ, quod ad humanum attinet judicium, morte periêrunt. De qua re hæc Sotades,

Αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογόνης, &c.
Mundus genitor cunctiparens, ſaturque rerum,
Cauſas Hominum non bene novit arbitrari:
Sunt per ſola Terræ mala, ſemper & fuêre;
Multiſque malis undique gaudet omnis orbis,
Res eximias queis fuit invenire cordi,
Sive ingenii laus foret illa, ſive dextræ,
Omnes malus hos cernitur exitus ſecutus;
Idque omne malum fluxerat à Parente Mundo.
Mundo ſapiens judice Socrates *putatus*;
Mundo ſapiens judice Socrates *necatur*;
Juſſus bibere in carcere poculum cicutæ.

Crudi

Euripidis Tragici Vita.

Crudi Polypi Diogenes *peremptus esu:*
Testudine, cùm scriberet, Æschylus *cadente.*
Glutito acino strangulat uva te Sophocles.
Te Euripides, *in* Thrace solo canes vorârunt.
Atra abstulerat egregium fames Homerum.

Præterea nec ipsum horum versuum Authorem idem fatum malum neglexit: *Plutarcho* enim teste, quòd Ptolemæo Philadelpho dixerit quando sororem uxorem duceret, Εἰς ὑχ ὁσίλων τυμπανιῶ τὸ κίγκρον ὠθεῖς, in vincula conjectus est, ubi per longum tempus contabuit. Eadem fere causa, & fatum, quæ & summo Virorum *Johanni Baptistæ* contigêre. Sed aliorum nonnullorum clarorum sanè Virorum fata memorare hic juvat: Et *Heraclitus* ὁ σκοτεινὸς, ut supra diximus, canibus quoque laceratus periit; *Theocritus* suspendio, *Orpheus* discerptus interiit; *Empedocles* flammis Ætnæ consumptus. *Hesiodus* ab inimicis gladio cæsus, Ibicus & *Archilochus* à Prædonibus, *Lycophron* sagittâ transfixus, *Cornelius Gallus* suo gladio, *Anacreon* uvæ acino, *Cratinus* & *Terentius* maris hausțu, *Seneca* & *Lucanus* à *Nerone*, venas secti, *Ovidius* ab *Augusto* in exilium actus, ut & *Propertius* à nonnullis dicitur: Denique *Lucretius* philtro furiatus sibi mortem conscivit, & inter Modernos *Gasper Barlæus* puteo suffocatus interiit. Non hic Regum maximorum, etiam optimorum, & Ducum clarissimorum Mortes exequar, quotquot vel gladio, vel securi, vel venenis, vel vi, vel insidiis perierunt: Sufficit ad hunc locum, non singularem fuisse *Euripidem* mortis genere, æque ac Vitæ & Ingenii laude.

Euripidis quidem fatum tota *Athenienſium* Civitas luxisse dicitur, & quamprimum potuerunt ad *Archelaum* Regem miserunt Legatos, qui Urbis totius nomine ossa ejus repeterent, in patrio solo tumulanda; sed hoc Rex iis obstinatius negavit: Designaverat enim inter *Macedonicorum* Regum Tumulos *Euripidem* reponere; atque ita paulò post in Urbe *Pellâ*, quam nonnulli *Beræam* putant, *Macedoniæ* Metropoli, nobile illi extructum sepulchrum inter duos confluentes rivos, quorum alter saluberrimi quidem potûs, alter verò mortiferi, quod à *Plinio* & *Vitruvio* dictum profert *Lilius Gyraldus*. In cujus funere Rex *Archelaus* supremum sumptum facere non contentus, *Crinem tonsus est*, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu quoque prodidit, ut *Solinus* refert. Hæc Urbs in regione Pieriâ ponitur,

quæ olim ad *Thraciam*, tum ad *Macedoniam* pertinebat, Musarum Parens & Domus, ut *Mela* vocat, & à qua Musæ Pierides dictæ; undè hoc Poetæ inscriptum Epitaphium.

Εἰ καὶ δακρυόεις Εὐριπίδη, &c.
Dirâ licèt tibi mors, Euripides, abstulit auras,
Et lupicida tuâ carne repleta canis,
Cecropiæ decus & dulcis Philomela Theatri,
Qui Sophiâ tragicas miscueras Charitas;
Cespite Pellæo astì tegeris: sic nempe minister
Pieridum cumbis jam prope Pieridas.

Sepulchrum autem ejus ex Marmore Pyrropœcilo videtur extructum magnificè, una cum *Euripidis* ipsius cothurnata statuâ, & cum Bacchi ornatu & toto Tragico apparatu exculptum, de cujus duratione, quasi perpetuâ futurâ Macedones gloriabantur. Ita enim *Agellius:* Sepulchrum ejus & Memoriam *Macedones* eo dignati sunt honore, ut in Gloriæ quoque loco prædicarent, Οὔ σον γε μνῆμ', Εὐριπίδη, ὄλοιτό πε, *quòd egregius Poeta morte obitâ sepultus in eorum terrâ foret. Quamobrem quum Legati ad eos ab* Athenien*sibus* missi petissent, *ut Ossa* Athenas *in terram illius patriam permitterent transferri, maximo consensu* Macedones *eâ re denegandâ perstiterunt.* Extant & alia de illo Epitaphia, ut illud imprimis *Ionis* dictum (quòd tamen potius *Sophonti Sophoclis* filio ascriberem, quia vix credibile est ipsum *Ionem* ad hæc durasse tempora) sic autem se habet,

Χαῖρε μελαμπέπλοις, Εὐριπίδη, &c.
Salve pullatâ, ô Euripides, in Regione
Pieriâ, æternum noctis habens thalamum:
Idque scias, tellure latens, tibi fama quòd ingens
Æquet Homeræum æterna futura Decus.

Celebratur & aliud vetus Epigramma, cujus Authorem nonnulli statuunt *Thucydidem* Historicum, alii *Theophilum* Comicum, alii *Timotheum* Musicum eundem & Poetam nobilem, alludens ad numerum Poetarum qui illius Mortem Næniis prosecuti sunt,

Μνῆμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδη, &c.
Græcia tota quidem monumentum Euripidis: Ossa
Terra tenet Macedûm quæ fera fata dedit.
Patria Cecropidum tellus: Sed plurima Musas
Delectans, tumulo Carmina plura refert.

Se

Sed Monumentum *Euripidis*, quod *Archelaus* in *Macedoniâ* extruxerat, aliquantò poſt à Cœlo tactum perhibetur; quod & Lycurgo Lacedæmoniorum Legiſlatori contigiſſe memoratur; & à veteribus divini favoris erga mortuos argumentum habebatur. Et ad hæc quoque alludens extat vetus Epigramma, ipſum *Euripidem* primò alloquens, mox de eo loquens,

Τὰ Μακέτας σὲ κέκλυθε τάφε κόνις, &c.
Te Macedûm condit tumuli cinis; igne ſed uſtus
A Jove fulmineo diſcutis hunc cinerem:
Ter namque intonuit Mneſarchiadæ Jovis æther,
Purgans mortalem corporis illuviem.

Athenienſes verò, quandoquidem illius cineres obtinere ab *Archelao* nequirent, nobile illi Cenotaphium condiderunt, quod *Pauſaniæ* tempore durabat, juxta viam, quâ deſcendebatur ex Urbe ad *Piræum*, ubi & poſtea *Menandri* Monumentum erigebatur. Et in hoc Cenotaphium hoc inſcriptum Diſtichon videtur; eleganter enim alludit ad ipſius corporis abſentiam, & nominis gloriam, quâ ſolâ potiebatur,

Οὐ σὸν Μνῆμα, &c.
Hoc tibi non monumentum, Euripides, *illius at tu:*
Namque tui hoc ſplendor Nominis irradiat.

Unicum aliud adjiciam Iambicum Epitaphium vetus,

Ἅπασ' Ἀχαΐς μνῆμα, &c.
Græcia tota tuum Monumentum, Euripides, *extat*;
Haud igitur mutum, ſed magis ore viget.

Sed & extare adhuc dicitur in finibus *Græciæ* & *Valachiæ* aliud *Euripidi* Cenotaphium ætate aliquâ barbarâ extructum; certè Figura illius extat, in cujus dextro latere Latinum hoc Epitaphium literis majuſculis exaratur, ſecundâ ſyllabâ τῦ *Euripides* contra Regulam correptâ,

SISTE QUID IPSE VELIM ROGITO COGNOSCE VIATOR
EURIPIDES TRAGICO CARMINE CLARUS HOMO [VOLEBAM
HAC JACEO ISTUD ERAM QUOD TE COGNOSSE ERGO DIU FELIX CHARE VIATOR ABI.

